

tum, & ab Equitibus inquiri, ferrum iugulo adegit, adiuuante trepidam manum impuro Eunucho Sporo, Anno ætatis x x x i i. Imperii xiiii. eo ipso die, quo vxorem Octauiam interemerat. Mors eius tantum gaudii publicè præbuit, vt plebs pileata tota discurreret vrbe. Statura fuit penè iusta, corpore maculoso & foedo, sufflauo capillo, vultu pulchro magis, quàm venusto, oculis cæsiis, & hebetioribus, ceruice obesa, ventre proiecto, gracilimis cruribus, valetudine prospera.

In huius Numismatis altera parte, Neronis triumphus talis representatur: Currus, cui variæ imagines mulierum cythara ludentium, & saltatium quatuor equabus Hermaphroditis niueis trahitur. Curri Nero infidet ornatus pallio, coronatus corona olympica, cytharam manu tenens, de cuius collo pendet arcus, & pharetra. A dextro currus latere duo vexillares conspiciuntur, vexilla, quibus varia instrumenta Musica appendent, gestantes, cum inscriptione: A P O L L I N I I N V I C T O C A E. A V G. Infrà scriptum, S. C.

De hoc triumpho Suetonius hæc tradit: Reuersus è Græcia Neapolim, quòd in ea primùm artē protulerat, albis equis introiit, dissecta parte muri, vt mos hieroniarum est. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Augustus olim triumphauerat, & in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens olympicam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterorum, cum titulis, vbi & quos, quo cationum, quòue fabularum argumento vicisset: sequentibus currum ouantium ritu plausoribus, Augustianos, militēsque se triumphus eius, clamantibus. Dehinc diruto circi maximi arcu, per velabrum fo-

rūmq; Palatium & Apollinē petiit. Incedenti passim victi-

ma cæsa, sparso per vias identidem croco, ingestaq;

aues, ac lemnisci & bellaria. Sacras coronas

in cubili circum lectos posuit. Item

statuas suas citharædico ha-

bitu: qua nota etiam

numum per-

cussit.